

ANDREAS COMES DE LESZNO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS
LEGATVS NATVS, REGNI POLONIÆ PRIMAS PRIMVSQ; PRINCEPS.

Vniuerso Clero & Populo Archidiecefis nostræ Gnesneñ Salutem in Domino.



Visitauit Dominus iniquitates nostras in virga furoris sui, & multiplicata sunt super nos flagella iræ eius. Nondum auertit à nobis gladium inimicorum nostrorum, & iam Angelo percutienti tradidit nos; coniunctisq; simul belli & pestis calamitatibus, in manus Dei & hominum pariter incidimus. In tantis acerbis cladibus sollicitos Nos pro populo esse necesse est: cogit Nos rapiunt cura Pastoralis, ut medijs quasi cadibus illati, ac medijs inter viuos & mortuos constituti clamemus ad Dominum, ut pro multitudine miserationum suarum parcat populo suo, cessetq; manus eius, & conuertatur mucro eius in vaginam suam. Sed cum iustitie eius vim formidemus, & peccatis nostris, ad faciendum in nos Iudicium, adductum cum perpendamus, obtestari cogimur vniuersum gregem nostrum, ut reuertatur unusquisque à via sua mala; neq; obdurantes ad plagas Domini corda nostra in exacerbatione, eum amplius prouocemus: sed in humilatione anime ut auertatur à nobis furor eius. Plorent inter vestibulum & Altare Sacerdotes Ministri Domini, & multum orantes pro populo suo, in placando Domino forma gregis fiant. Egrediatur vir de cubili suo, omnisq; ætas pariter apprehendat disciplinam, ne irascatur Dominus, & pereamus de via iusta. Qua in re ut pro munere Pastoralis officij Nostri Nostre Metropolitanæ Ecclesiæ, & quarumvis Collegiarum Prælatos & Canonicos, Parochialium Rectores, Conuentualium cuiusvis Ordinis, Religionis & Instituti Superiores; eorum Regiam Maiestatem, gloria Diuina, & blasphemati ab hostibus Nominis sancti eius zelus, tum Patriæ charitas, & populorum sibi à Deo subiectorum amor, eo prouexit, ut Inprimis singulis Ferijs Secundis, assignatâ ad id populo certâ horâ, datoq; campana signo, Missam Votiuâ Tempore belli, cum Collecta pro Serenissimo Rege, aliâq; pro vniuerso vniuersisq; eius Copijs imperitari tenebuntur. Deinde Quartis singulis Ferijs aliam Missam Votiuam pro Auertenda peste, pari populo per signum campana conuocatione, ac simili Patriam commendantes, ad vicinam aliquâ Ecclesiam, aut, in eius defectu, circa Templi ambitum, concursu ac deuotione populi quàm maximâ instituent. Deniq; quouis Sabbatho de Beata Maria Virgine Missam haberi, Litaniasq; cum Prosa, Stella cœli, facient decantari: orantes Matrem & Reginam misericordie, ut, quæ & Reginam & Matrem huius Regni se ferri non est aspèrnata, nunc in tanto eius discrimine, illos suos misericordes oculos ad nos conuertat; & ut Præpotentis patrocinijs sui, intercessionumq; suarum, vincat iram benedicti Filij sui; gladiumq; & sagittas furoris eius cohibeat. Insuper in singulis Ecclesijs, ubi Clerus & Populus est frequentior, deuotionem quadraginta horarum, semel quouis Mense iuxta Ordinationem Illustrissimæ & Admodum Rêndorum Officialium Nostrorum pro ijs necessitatibus faciendam indicimus. Concionatoribus autem mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis, & festis ad populum celebribus, finitâ Concione, Christi fideles, accommodatis ad id sermonibus, ad penitentiam, præsertim verò peccatorum per Confessiones Sacramentales expiationem, orationes, ieiunia, elemosynas, aliâq; pietatis opera exhortentur, & incitent; & ut dic aliqua in Ieiunio Decem miserordem & præstabilem super malitia inuocantibus eum in veritate deprecantur, ipsi per modum efficacis consilij persuadeant. Qui quidem Processus Noster ut ad omnium decernat notitiam, eundem ad præfatos DD. Officiales Nostros transmitti volumus: qui postmodum per Decanatus cuiusvis Territorij eundem solitâ Cursoria transportari procurabunt. In cuius rei fidem presentes manu Nostri subscriptus & sigillo Nostro communitas dedimus. Squerniensijs die XVI. Mensis Iulij, Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Tertio.



Nicolaus Lavich
Diagono Romae

ad p[ro]p[ri]etatem
nem in cantibus in
maior. Leber

Domus p[ro]p[ri]etatis
ad reditu

16/7 1653